



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum paßio in re ipsa distinguatur ab actione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

gis proprias inuenire, sed sumenda sunt, prout accommodantur generi quod diuidunt: Nam etiam alie differentie possunt esse communes his membris, & secundum eas possent hae diuisiones aliter ordinari (quia & accidentalis actio est ex praesupposito subiecto: & potest etiam aliqua sine subiecto fieri, ut creatio vel conseruatio accidentis extra subiectum. Item in actionibus accidentalibus datur productio & conseruatio. Posset etiam actio primo diuidi in spiritualem & materialem, & deinde haec membra in alia. Nihilominus tamen ordo propositus videtur conuenientior, & propter maius discrimen inter actiones substantiales & accidentales, & praesertim si ex his tantum posterioribus vnum praedicamentum constituitur. Recte igitur diuisa est actio accidentalis in immanentem & transeuntem. Immanens proprie tantum illa dicitur, quae formaliter manet in eadem potentia proxima a qua elicitur, quaeque ex suo genere talis est, ut nunquam in alio subiecto fieri possit: & hoc modo tantum actiones cognoscendi & amandi sunt immanentes, in quibus plura dantur genera & species actionum, quas hic amplius tradere non est necesse, id enim spectat ad scientiam de anima & de angelis.

X.
Aliaque vi-
tales & co-
naturales
actiones la-
te vocan-
tur imma-
nentes.

Aliquando vero extenditur nomen actionis immanens ad omnem illam, quae in supposito operante manet: & hoc modo omnes motus vitales, & nutritionis, & augmentationis, & motus etiam localis animantium, poterunt immanentes appellari: motus naturalis terrae deorsum tendentis, aut aquae reducens se ad pristinam frigiditatem. Sed haec omnes improprie sunt actiones immanentes, quia licet sint in eodem supposito, non tamen secundum eandem partem, vel non secundum eandem potentiam aut vim agendi. Et motus illi naturales peculiariter excluduntur, quia aliquo modo tribuuntur extrinseco agenti, sicut generanti: & eadem ratione naturalis emanatio, verbi gratia, potentiarum ab anima, etiam si suo modo sit actio, ut supra visum est, & in eadem anima maneat, tamen quia extrinseco agenti proprie tribuitur non est proprie actio immanens. Ita fit, ut propria actio immanens solum in vitalibus actionibus inueniatur, quamuis non conueratur, quia non omnis actio vitalis immanens est in proprietate iam dicta.

XI.
An sit ali-
qua actio
formalis
immanens
& transeun-
s virtualiter

Actio transeuntes subdiuidi ab aliquibus solet in formaliter transeuntem, vel tantum quoad efficiendum imo qui putant actionem omnem esse in agente, existimant nullam actionem dictam esse transeuntem, nisi ob efficaciam. Ego vero censeo nullam actionem ut actionem esse transeuntem, quoad efficaciam tantum, quia actio ut actio non est efficax, nisi ratione sui termini intrinseci: vnde si talis est actio, quae in agente maneat, ideo est, quia in eo manet terminus eius: ergo ut est actio non potest esse transeuntes, quoad efficaciam. Quod si interdum per actum immanentem aliquid extra fit, non fit per illud in ratione actionis, sed ut principium agendi, ut supra dictum est de scientia & voluntate diuina, & idem est de voluntate creata quatenus est operatiua ad extra. Quocirca actio immanens tunc prout est actio, non per se, sed per suum intrinsecum terminum operatur ad extra. Ut si reductionem aquae ad pristinum frigus, actionem immanentem vocemus, licet ex ea proueniat, quod aqua facta frigida rem extrinsecam frige faciat, actio illa reductionis non dicitur proprie transeuntes, quoad efficaciam, quia illa sistit in suo termino: altera vero actio sequitur ex virtute termini prioris actionis, tanquam ex principio nouae actionis. Ad hunc ergo modum intelligendum est, quotiescunque actus immanens est principium alicuius effectus extra operantis: imo si interdum in ipso operante aliquem alium effectum relinquit eodem modo illum efficit. Omnis ergo actio transeuntes, si proprie & in ratione actionis transeuntes sit, ideo talis dicitur: quia est formaliter

transeuntes, id est, ab agente exiens, & in passum recepta. Quae rursus diuidi potest in plures species & modos actionum transeuntem, quarum tractatio & speculatio propria est physicorum: nam huiusmodi actio maxime concernit materiam sensibilem: a proinde eadem fere ratio est de actione & de motu quoad has species.

Aliae item diuisiones actionum inueniuntur in autoribus, quae quantum ad praesens spectat, laesae sunt ex superioribus notae, ut quod distinguitur actio in vitalem & non vitalem, quam supra sect. 3. tetigimus. Item quod distingui posset in eam, quae est per propriam efficientiam, vel per naturalem resultantiam: de qua dictum est tractando de efficiente causa. Aliam denique tradidimus supra in actionem instantaneam & successiuam: sed qua plura dicemus disp. seq. Hae igitur de actione dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XLIX.

De Passione.

Passionis nomen in vsu Philosophorum & Theologorum æquiuocum est, ut ex Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 21. & ex D. Thoma 1. 2. q. 22. art. 1. aliisque locis & ex Passione aliis auctoribus passim constat. Nam & motus affectus animi passionem appellari solent: & quaedam qualitates tertiae speciei, passionem appellatur, ut patet ex cap. de qualitate & 3. Physic. ca. 3. Praeterea maxime aliquis pati dicitur, quando aliquid praeter naturam suam patitur: aut quando aliquid amittit. Late vero passio dicitur omnis receptio alicuius formae, qualiscunque illa sit. Et hoc modo in presenti sumitur: si enim correspondet actioni, quamuis non omni, sed illi, quae fit ex praesupposito subiecto. Quoniam vero actio & passio sic sumptae magnam inter se connexionem habent, ut in multis conueniunt, ideo multa etiam ex iis, quae de actione dicta sunt, seruata proportionem applicari possunt ad passionem: & ideo breuius hanc disputationem expedimus. Explicando in primis conuenientiam & discrimen inter actionem & passionem: & deinde propriam naturam passionis, & species eius declarando.

SECTIO I.

Utrum passio in re ipsa differat ab actione.

De actione & passione aliqui opinati sunt esse res realiter distinctas, quod necesse est sentiant illi, qui existimant actionem nil aliud esse, quam relationem agentis ad patiens: passionem vero relationem patientis ad agens. Quod sentit Scorus in 4. dist. 13. q. 1. & quodlib. 11. quam sequitur Anton. Andr. 10. libr. de 6. princip. q. 9. Haec tamen sententia reiecta est in superioribus in actione: & eadem vel maiori ratione reiecta est in passione, quia per passionem, ut sic non refertur patiens ad agens, sed solum passum ipsum afficitur passione in ordine ad terminum aliquem: est enim passio receptio alicuius formae. Et quamuis omnis passio sit ab aliquo agente, tamen solum est ab eo ut a causa extrinseca: vnde non solum non dicit formaliter rationem ad agens, verum etiam non includit in suo formali ac praeciso conceptu respectum transcendentem ad agens: alioquin in sua ratione includeret id quod est de ratione actionis: Si quae ergo est relatio patientis ad agens, illa resultat ex passione, & in ea fundatur: ideo enim ad id refertur, quia ab illo patitur: non possunt ergo actio & passio illo modo distingui. Omitto alia, quae de relationibus extrinsecis aduenientibus superius dicta sunt, quae etiam hic applicari possunt.

II. Alii dixerunt actionem & passionem interdū distingui realiter, aliquando vero minime: nam quādo actio est in agente, & infert passionem in passum, realiter distinguitur: quādo vero actio cum passione ipsa transfertur in passum, aut utraq̃ manet in ipso agente, quod insul etiam patiens sit, tunc nō habere realem distinctionem. Veruntamen, cum supra reiecerimus primum membrum huius partitionis, & ostenderimus nullam esse actionem proprie dictam, quæ passionem inferat in aliud subiectum præter illud in quo ipsa est: pro cōstanti relinquimus, nec partitionem illam, esse necessariam, neque ex illo capite nimirum ex distinctione subiectorum actionem & passionem realiter aliquando diffingui. Ut autem formalis & propria sit comparatio, faciēda est inter passionem & actionem, quæ illam inferat: nam si disparatæ (ut ita dicam) comparantur, sepe poterunt diffingui realiter: ut enim passiva generatio realiter diffinguitur à creatione: & in vniuersum actio creādi dici poterit realiter diffingui à passione, vel negatiuè quia nullam habet passionem libi intrinsece coniunctam, vel positiue respectu aliarum passionum, quas ipsa non infert. Sed hæc comparatio est extrinseca, & accidentaria. Conferenda ergo est passio cum actione illatiua passionis, & proportionate vnaqueq̃ passio cum actione cui correspondet.

Actio & passio non diffinguntur realiter.

III. Sciigitur explicato sensu huius comparationis est communis & vera sententia, actionem & passionem non diffingui realiter proprie & rigore. Hæc est sententia Arist. 3. Phys. c. 3. ubi ait actionem & passionem in re esse eundem actum, seu motum differētes penes diuersos respectus. Quod idem docent auctores supra citati, qui tenent actionem esse in passio. Et probatur, quia vel actio & passio diffinguntur realiter vt duæ res, vel vt duo modi reales & realiter distincti. Primum dici nō potest, quia vt supra visum est, actio non est res proprie sumpta, sed modus rei: ergo nec passio potest esse res habens ex se propriam entitatem, sed modus rei. Est enim eiusdem modi & ordinis cum actione, & secundum propriam formalitatem minorem importat perfectionem. Item motus nō est res proprie, sed modus rei: ergo nec passio: sunt enim eiusdem rationis, vel potius idem, vt infra dicam. Secundum etiam non potest esse verum, quia modi reales, vt supra in disp. 7. dictum est, ex se, non habent distinctionem realem, sed iuxta eas res quarum sunt modi eiusdem rei nimirum eiusdem motus, aut eiusdem termini: ergo non possunt esse modi realiter distincti. Probatur minor, tum ex doctrina Aristot. & communi supra citata, tum ex re ipsa, quia passio nihil aliud est, quam fieri formæ, seu formalis termini actionis prout recipitur in subiecto, illud immediae reducit de potentia in actum, sed fieri termini vel formæ nihil aliud est, quam quidam modus eius: ergo passio est modus termini actionis. At supra etiam ostensum est, actionem nihil aliud esse quam modum quendam eiusdem termini, scil. dependentiam eius ab agente ergo actio & passio sunt modi eiusdem rei: ergo non possunt inter se habere realem distinctionem. Et confirmatur, nam actio non diffinguitur realiter à termino, vt supra dictum est, sed hoc ipsum ostendimus statim de passione respectu termini: ergo neque inter se possunt realiter diffingui. Confirmatur tandem illa vulgari ratione, quod distinctio nō est introducenda sine necessitate, hic autē nulla est necessitas, vt à fortiori ex dicendis cōstabit.

Varia sententia de distinctione modali inter actionem & passionem.

IV. Vbitari etiam ulterius potest, an saltem admittenda sit distinctio modalis, quæ actualis sit & ex natura rei inter actionem & passionem: sic enim sepe

tura rei inter actionem, & passionem: sic enim sepe contingit modos eiusdem rei, & ab illa sic distinctos, inter se etiam eodem modo diffingui. Hanc ergo distinctionem putant multi admittendam esse inter actionem & passionem. Alii vero lubrice loquuntur, vocātes illam distinctionem formalem. Potestq̃ hæc sententia fundari: vel in prædicamentali distinctione actionis & passionis, vel in distinctione inter potētiā actiuam & passiuam. Cum enim actio sit actus potentie actiue, & passio passiue, & potentia istæ in re distinctæ sint aliquo modo, necessarium videtur, vt etiam actio & passio in re ipsa & ex natura rei aliquo modo diffingantur.

Aliter Heruzus quodlibet. 7. q. 14. ait, actionem & passionem differre, quia agens est de ratione actionis & passum de ratione passionis, extrinsece (inquit) & per additionē, sicut causa est de ratione effectus. Vix tamen intelligitur, quid sibi velit nisi dicat idē, quod alii aiunt, & nos etiam statim dicemus actionem & passionem differre secundum diuersos respectus ad agens vel patiens: quem tamen sensum non videtur Heruzus intendere, nam ex professo contendit reuelationes ad agens & passum non esse de ratione actionis & passionis. Vnde significat motum existentem in passio esse actionem quatenus per denominationē extrinsecam denominat agens actū: passionem vero esse quatenus subiectum denominat patiens actū, etiam sine vlla relatione ad ipsa: quod plane est intelligibile, si non intercedat saltem respectus transcendentalis.

Et ideo clarius Capreolus in 2. q. 1. q. 2. art. 1. concl. 2. dicit actionem & passionem differre per diuersas relationes: vult tamē has relationes non in recto, sed in obliquo pertinere ad actionem & passionem. Vnde sentit in re & intrinsece nullo modo differre actionem & passionem, sed esse eandē mutationē vel motum: extrinsece vero differre per relationes quas cōnotant. Eam vero relationem in actione ait esse relationem agentis ad effectum, quæ est in ipso agente: in passio vero per creationem effectus ad causam. Sed hanc sententiam falsam esse in actione supra ostendimus: est autem eadem proportionalis ratio de passione. Primo, quia relatio effectus ad causam consequitur ex passione in ipso passionis termino: ergo non potest per illam constitui passio in ratione passionis. Secundo, quia passio vt sic proprie respicit passum, quatenus est forma quædam actiuans illud, & illud denominans actū patiens: ergo respectus quē includit passio vt sic, non est respectus ipsius patiens ad aliud, sed est respectus ipsiusmet passionis ad subiectū quatenus est proprie & speciali quodam modo actus illius. Vnde si passum ipsum in concreto consideretur, formaliter non dicit effectum vt relatum ad agens sed dicit tantum subiectum vt affectum passione tendente in aliquem terminum. ergo nullo modo illa relatio pertinet ad rationem passionis. Imo si relatio ad agens alicui hāc tribuenda est potius actioni quā passioni est adscribenda, quia relatio ad causam non est, nisi relatio originis ab illa: hæc autem relatio primo conuenit actioni: & si non prædicamentaliter, sed transcendentaliter sumatur, intrinsece ingreditur rationem illius vt supra ostendi.

Denique vix intelligitur quomodo actio & passio diffingantur per extrinsecas relationes in obliquo connotatas, nam eo modo quo diffinguntur per illas constituentur etiam per illas: ergo vel constituentur per illas vt per formas, à quibus idem motus extrinsece denominatur actio & passio: & sic tantum erunt hæ duæ denominationes pertinentes ad duas species relationum, & ita non egredientur prædicamentum ad aliquid. Vel constituentur per habitudines ad illas relationes, & ita actio constituetur per respectum ad relationē agentis, passio vero per respectum ad relationem patiens, quod est plane falsum. Tum quia ratio fundandi non dicit aliū respectum

bbb 4 ad re-

relationem, quæ ex ea confurgit, tum etiam, quia falsio (sicut supra etiam dicebam ad actionem) non dicit respectum ad relationem, sed ad potentiam patientem.

Actio & passio non ex natura rei, sed ratione ratiocinata distinguuntur.

VIII. Dicendum ergo censeo, actionem & passionem in re non esse modos ex natura rei distinctos, sed eandem dependentiam & emanationem formæ, ab agente, quatenus subiectum intrinsece afficit, vocari passionem: quatenus vero agens ipsum denominat actu agens, vocari actionem: atque ita hæc duo ad summum distingui ratione ratiocinata, id est fundata aliquo modo in rebus, quæ interdum sufficit ad distinguenda prædicamenta, quando inde confurgunt modi denominandi aut prædicandi primo diuersi, quod in præsentia contingit. Tota hæc assertio est D. Thom. 11. Met. lect. 9. ubi expresse dicit actionem & passionem tantum ratione differre: & idem sumitur ex 2. contra Gent. cap. 9. & ex aliis locis supra citatis. Sumitur etiam ex Arist. loco supra citato ex 3. Phys. ubi ait, eundem motum esse actum agentis & patientis, & secundum eas diuersas rationes actionem & passionem appellari.

Et ratione probatur, quoad primam quidem partem, quia actio & passio ita coniunguntur realiter in vno motu seu mutatione, ut nec actio à passione, nec passio ab actione separabilis sit, etiam de potentia absoluta: ergo signum est non distingui actualiter ex natura rei. Patet consequentia ex supra dictis de distinctionibus rerum aut modorum: ostendimus enim, ubi tanta intercedit inseparabilitas, nullum relinqui sufficiens indicium actualis distinctionis, & ex natura rei. Antecedens autem probatur, quia repugnat passionem fieri in aliquo subiecto: quin ab aliquo agente procedat, quia non potest esse effectus sine causa: hoc autem ipso quod ab eo agente procedit, inuenitur in illa mutatione vera ratio actionis, ut constat ex dictis Disputatione præcedenti, ut supra eum de transeunte actione Dei ageremus. E conuerso etiam non potest esse actio ex subiecto (de hac enim est sermo) quin hoc ipso inferat passionem, nam si ex subiecto sit in subiecto recipitur terminus eius, & in eodem fit: ergo est passio & deceptio ex parte talis subiecti: sunt ergo omnino inseparabiles passio & talis actio. Neque oportet rationem hanc limitare ad actiones transeuntes, aut ad successiuas, ut quidam volunt: nam loquendo de passione in generalitate supra posita pro omni mutatione & receptione in fieri, & proportionaliter applicando actionem passioni, generalis est doctrina: nam in actione immanente, sicut est actio, ita etiam est passio perfectiua, & in actione instantanea est etiam mutatio & passio indiuisibilis: atque ita semper actio & passio coniunctæ sunt in eadem mutatione.

X. Altera vero conclusionis pars, suppositis præcedentibus, & supposita communi doctrina, ac distinctione prædicamentorum, necessario consequitur, quia necesse est admittere aliquam distinctionem & passionem: cum ergo non sit realis, nec ex natura rei oportet esse rationis. Rursus non potest esse distinctio voluntaria, & gratis conficta, quia distinctio prædicamentorum in rebus ipsis aliquo modo fundata est: ergo est hæc distinctio fundata in ipsis rebus, non quod in rebus ipsis præcedat actualiter, sed virtualiter, & per intellectum vario modo concipientem, & deficientem perficiatur: hoc ergo sensu recte dicitur illa distinctio rationis ratiocinata: quod si hæc eadem est, quæ ab aliis vocatur distinctio formalis de voce non contendimus. Præterea, hoc etiam probat ratio supra facta de distinctione potentie actiue & passiue quæ sæpe in re distinguuntur, & licet aliquando in vna re coniungatur, ut in potentiis animæ, tamen ibi

etiam saltem ratione ratiocinata distinguuntur, ut supra visum est: ergo actus harum potentiarum aliquo modo distinguuntur saltem ratione ratiocinata: nam ex parte ipsarum potentiarum, & ex diuerso modo quo reducuntur in actum, sumitur sufficiens fundamentum ad prædictam distinctionem rationis inter actionem & passionem. Nec vero intercedit maior distinctio, quando potentia actiua & passiua realiter & subiecto distinguuntur, nam actus potentie actiue non actuatur illam, ut in qua sit, sed ut in qua sit, & e conuerso actus potentie passiue actuatur illam, ut in qua existit: vnus autem & idem actus in re vtrumque minus necessario exercet, etiam si potentie in re maxime distinguuntur: & ideo tunc etiam intercedit distinctio rationis propter diuersos respectus nunquam vero inuenitur maior distinctio: atque ita satisfactum est fundamentis aliarum opinionum.

SECTIO II.

Quomodo passio ad motum vel mutationem comparetur, & quid tandem passio sit.



Vamuis tractatio de motu peculiari ratione sit propria naturalis philosophiæ quatenus motus in rebus corporeis physice seu materialiter sit, tamen abstractior consideratio mutationis sub metaphysicam considerationem cadit, quia in rebus omnibus etiam materia carentibus, & omni passione & actione creaturæ intercedit: & ideo aliquod etiam de illo nobis dicendum est. Et aptissime in hunc locum cadit de illo disputatio, quoniam ut arbitramur, nihil fere inter motum & passionem differt, si eum proportionem comparentur.

De distinctione inter passionem & motum quadam sententia communis.

SOlet communiter dici motum tribus modis spectari posse: primo ut est ab alio, & sic vocari actionem secundo: Ut in aliquo accipitur, & sic esse passionem: tertio ut est forma, seu terminus in fieri seu fieri ipsius formæ, seu fluxus tendens in perfectionem formæ: & sic habere rationem motus distinguendi formaliter tam ab actione, quam à passione. Hec est satis communis sententia in 3. Phys. Potestque probari, quia passio ut passio constituit determinatum prædicamentum motus autem ut motus nullum constituit: ergo necesse est distinguantur saltem ratione formaliter: Maior inponitur ex diuisione prædicamentorum. Minor probatur primo ex Aristotele in prædicamentis ubi cum passionem inter prædicamenta numerasset, de motu agit in Postprædicamentis. Secundo ex eodem Arist. 2. Physic. text. 4. ubi ait, motum non esse præter res ad quas est motus, ideoque sicut nullum prædicamentum est commune omnibus rebus, ad quas est motus, ita motum non esse extra ea prædicamenta, ad quæ eius termini pertinent. Tertio quia passio cum sit vnum genus, vniuoce dicitur: motus autem non est quid vniuoce, sed analogum, ut omnes doceant exponentes Aristot. locis citatis: ergo non pertinet ad prædicamentum passionis. Quarto quia motus dicit, quia incompletum & imperfectum, quia solum dicit ipsum terminum, ut partim acquisitum, partim acquirendum: ergo per se non constituitur in prædicamento, sed reducitur ad prædicamentum formæ perfectæ ad quem tendit. Quinto, quia alia est definitio motus, quam passionis, nam motum definit Aristot. esse actum entis in potentia, prout in potentia. 3. Phys. rex. 6. de actione autem & passione subdit text. 22. esse affectiones ipsius motus, & passionem, esse actum ipsius passiui: quæ autem definitione differunt, saltem distinguuntur ratione formaliter.

Quo-